

Querere Deum A

Querite faciem eius semper. Si semper queritur, quando invenitur? An semper dixit in tota vita qua hic vivitur, ex quo hic debere nos facere cognovimus, quando et inventus querendus est. Iam Deum invenit fides sed adhuc eum querit spes, caritas autem et invenit eum per fidem et eum querit habere per spem, ubi tunc sic invenitur ut ultra non queratur. Forte cum facie ad faciem eum viderimus sicuti est, adhuc perquirendus erit et sine fine querendus, quia sine fine amandus.

Augustinus super Psalmos capitulo 4.

Querere Deum B

Queramus inveniendum, queramus inventum; ut inveniendus queratur, occultus est; ut inventus queratur, immensus est.

Augustinus super Iohannem.

Querere Deum C

Si homo ita creatus est ut per id quod in eo precellit attingit illud quod cuncta precellit, id est unum verum optimum sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus usus expedit; ipse queratur ubi nobis segura sunt omnia; ipse cernatur ubi nobis omnia certa sunt; ipse diligatur ubi nobis recta sunt omnia.

Augustinus de civitate Dei.

Querere Deum D

Quid difficilius, quid solet dulcius inveniri.

Augustinus super Psalmos capitulo 3.

Querere Deum E

Querite Dominum dum inveniri potest, modo non videtur Dominus et prope est. In iudicio videbitur et prope non erit, necdum in iudicio apparuit et si queratur invenitur, nam miro modo cum in iudicio apparuerit, et videri potest et inveniri non potest.

Gregorius libro 27. moralium capitulo 10.

Querere Deum F

Nemo te, Domine, querere valet nisi qui prius invenerit. Vis ergo inveniri ut queraris queri ut inveniaris, potes queri et inveniri non tamen preveniri.

Bernardus de diligendo Deo.

Querere Deum G

Si nolumus frustra querere Dominum, queramus veraciter, queramus frequenter, queramus perseveranter ut nec queramus pro illo aliud nec cum illo aliud sed nec ab illo ad aliud convertamur. Facilius enim est celum et terram transire, quam ut sic querens non inveniatur, sic petens non accipiat, et sic pulsanti non aperiatur.

Bernardus sermone 24.

Querere Deum H

Inquirimus veritatem in nobis, in proximis in sui natura; in nobis nosmetipsos diiudicando, in proximis eorum malis compaciendo, in sui natura mundo corde contemplanco.

Bernardus de duodecim gradibus humilitatis.

Querere Deum I

Si non vendideris omnia nec emes, et si animam non humeris sollicitam et querentem non invenies. Duo enim oportet adesse et a vite huius negociis abesse et vigilantem esse.

Chrysostomus super illud Matthei 13: Et vendit universa.

Querere Deum K

Id quere quod potes invenire, id disce quod potes scire, id opta quod optari contra bonis potest.

Seneca in quadam epistola.